



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem,
ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

Serenissimo Principi Ferdinando, Hispaniarvm Infanti, S. R. E Cardinali,
Belgarvm Gvbernatori &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

SERENISSIMO PRINCIPI
FERDINANDO,
HISPANIARVM INFANTI,
S. R. E. CARDINALI,
BELGARVM GVBERNATORI &c.

SERENISSIME PRINCEPS,



Qvod Reverendissimi Præfulis Iprensis COR. IANSENI I manes jam non possunt, nos superstites & à moriente rogati facimus. AVGVSTINVM suum Celsitudini Vestrae destinaverat, nos repræsentamus. Celsum & Augustum Opus, si quod à temporibus Augustini, ejus argumenti, in lucem exijt. Magno tamen & Augusto, id est, Vestro patrocínio forsitan indigebit. In altas profunditates oculi etiam acuti, non sine vertigine despiciunt, & aspicientibus Solem caligo oboritur. Eorum præsertim, qui contrarijs opinionibus præventi & imbuti, symptomata hæc erunt.

Sed familia illa hodie Orbis terræ Princeps, veritatis arx, fidei Catholicæ perfugium & propugnaculum, aperiet suum (sic speramus, & supplices rogamus) Augustino asylum. Austriacæ Domûs prima fundamenta è cælo, religio & pietas, quibus etiam tot jam seculis tota moles compagesque innixa stetit. Stabit etiam porro, quamdiu tale firmamentum habebit: & augurij hujus evidentia signa in Belgio nostro & Germania cernimus. *Quicumque glorificaverit me, glorificaborem & inquit ille qui mutat tempora &*

atates,

atates, transfert Regna & constituit. Sic Constantinus Imperium Orbis adeptus est. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Sic Imperio Iulianus dejectus est.

Quis credidisset Illustrissimam Domum istam, inter tot undique ferocissimorum hostium assultus potuisse statum gradumque servare? Fecit tamen, & faciet, quia omnipotenti manu tenetur.

Principes nuper nostri, sapientiâ & usu rerum cani, longis bellis exerciti, uni hosti vix pares erant; Celsitudo Sua, in isto ætatis & armorum tyrocinio, duos veteranos & potentissimos ex æquo sustinet. Vnde? Nisi quia virtutem & animos sanguini Hispano & Austriaco Deus inspirat, ideoque tot oneribus pressus, ubi alij opprimerentur, erectus manet?

Suscipe tamen, Magne & Magnanime Princeps, inter magnas istas curas exiguum hoc etiam S. Augustini, id est, pietatis & veritatis patrocinium. Veritatis, dicimus; quia sic putamus, & omnium eruditorum qui vacui affectuum, pleni pietatis, ac Apostolicæ Sedis præsertim erit iudicium.

Deus Opt. Max. pia Celsitudinis Suæ arma fortunet, & Austriacam Hispanicamque Familiam, geminum hodie religionis Christianæ sub cælo propugnaculum, Majestate & gloriâ evehat in cælum. Ita rogemus & apprecamur. Lovanij XII. Cal. Iul. MDCXL.

CELSITVDINIS SVÆ,

Humillimi & subditissimi famuli

HENRICVS CALENVS S. Th. L. Archipresbyter Bruxell. & Canon. Metropol.

L. FROMONDVS S. Th. Doct. & S. Script. Lovanij Profess. Regius.